



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

6. Quartum argumentum principale ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SVBSECTIO VI.

Quartum argumentum principale ponitur.

62 **Q**uia in diuinis datur potentia generatiua Verbi, quæ est in gradu intellectiui formalissime; sed non potest esse alia nisi intellectus, siue formaliter includendo relationem (vt multi asserunt) siue solum connotando illam (vt probabilior sententia affirmat); ergo intellectus in diuinis est potentia; sed potentia est actus primus: ergo intellectus est actus primus in diuinis; atqui omni actui primo correspondet suus actus secundus; vnus per modum actionis, seu operationis, qui dicitur actus secundus vt quo; alius per modum termini producti, & vt quod; terminus vt quod respectu intellectus paterni eo modo; quo explicimus secundum varias opiniones est Verbum mentis diuinæ, seu Verbum diuinum productum à Patre, & hoc sine controuersia; terminus autem vt quo, seu actus secundus, vt quo non est alius, nisi intellectio formalis, aut connotando relationem, aut includendo formaliter illam; quia Verbum diuinum producit secundum fidem catholicam per intellectiōem; nam Pater formalissime intelligendo producit Verbum: ergo productio Verbi est formalissima intellectio; vnde omnes Sancti & doctores Ecclesiæ, reddentes rationem, cur secunda persona sit Filius & Verbum, tertia autem non sit Verbum neque Filius, dicunt esse; quia Verbum producit per intellectiōem, Spiritus sanctus per amorem; nam sicut in creatis Verbum mentis producit per actionem, & operationem intelligendi formaliter, siue per formalissimam intellectiōem; ita similiter in diuinis Verbum producit formalissime per intellectiōem; vnde Pater intelligendo se, relationes, diuinitatem, & cetera attributa formalissime generat Verbum; quare licet positum sit in opinione; an generatio ipsa formalissime dicat formaliter relationem, vel connotet illam, nihilominus tamen omnes vnanimi consensu docent, intellectiōem diuinam formalissime esse generationem Verbi: ergo intellectio formalissime est actus secundus intellectus formalissime, qui modo nostro concipiendi est potentia generatiua; & intellectio modo nostro concipiendi fuit ab intellectu, tanquam operatio à sua potentia; & per intellectiōem reducitur ad actum secundum intelligendi, & producendi Verbum.

Itaque sicut nunquam desinit intelligere Pater diuinis perfectiones, ita nunquam desinit per intellectum producere formalissime Verbum media intellectiōe. Quapropter sicut intellectus formalissime est potentia generandi quatenus intellectus; ita intellectio formalissime est generatio ipsa: sed vis generatiua est actus primus respectu generationis; ergo intellectus est actus primus respectu intellectiōis, quia intellectio est formaliter generatio, & intellectus est formaliter potentia generatiua; vnde sicut intellectus ex conceptu potentis intelligere, vel quia est vis perceptiua obiecti, reducitur ad intelligendum actum per intellectiōem actualem, tanquam ad actum secundum; ita etiam quatenus est vis generatiua, seu potentia generandi reducitur ad generandum actum per formalem intellectiōem, quæ formaliter est generatio, connotando solum relationem; quod his verbis docet Pater Suarez libro 3. de Trinitate, capite 11. numero 7. in medio, [negamus enim

intelligere rationale distingui in Patre etiam ratione ab intelligere essentiali, quatenus est actus intelligendi, sed solum distingui in relatione connotata, seu in modo habendi illud, non datum ab alia persona, sed à se:] ergo intellectus formalissime est potentia generandi, quatenus intellectus respectu generationis, & generatio formalissime est intellectio essentialis solum connotata relatione: ergo intellectus formalissime est potentia respectu intellectiōis; sed potentia est actus primus: ergo intellectus est actus primus respectu intellectiōis, & intellectio est actus secundus respectu intellectus: ergo intellectio non constituit primario, & essentialiter diuinam essentiam, quia diuina essentia non debet constitui per actum secundum, qui sit per modum fluxus, & operationis, sed potius per formalitatem permanentem, adhuc nostro modo intelligendi; qualis est intellectus, seu gradus intellectiui.

Explicatur exemplo, ideo enim Thomistæ omnes, & doctores Societatis negant contra Scotum personas diuinas constitui originibus, seu productionibus, ac proinde affirmant constitui relationibus, seu personalitatibus; quia origines, seu productiones considerantur per modum actionis, & fluxus, & non per modum permanentis formalitatis, quod requirebatur ad constituendas personas non fluentes, sed permanentes; adhuc nostro modo intelligendi; sed essentia diuina adhuc nostro modo intelligendi est omnino permanens sine vilo principio, & intelligere diuinum nostro modo intelligendi est per modum fluxus; quia est per modum operationis, & actionis vitalis habentis principium, à quo fluat, vt expresse docuit D. Thomas prima parte, quest. 14. in præfatione illius, intellectiōem esse operationem, verbis illis supra citatis, post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de iis, quæ pertinent ad operationem ipsius, & quia operatio quædam est, quæ manet in operante, quædam vero procedit in exteriori effectum; primo agemus de scientia, & voluntate; nam intelligere est in intelligente & velle in voluntate. Ecce intelligendi, & volendi actus ait esse operationes, & vt operationes esse in deo intelligente, & volente.

Quod autem sit operatio habens principium docet expresse, q. 1. de potentia, art. 1. ad primum, vt supra citauimus illis verbis, [essentiam dei non habere principium secundum rationem; cognitionem vero dei habere principium secundum rationem]; ergo diuina essentia non debet constitui vltimo per diuinum intelligere nostro modo concipiendi, supposito quod sit actus secundus, præsupponens actum primum intelligendi, vt his verbis docet ipse P. Herize in hac quest. c. 1. n. 10. in fine, [vnde omnes Scholastici, ac præcipue Aareolus, qui dedit initium huic doctrinæ, hoc ipso, quod negarunt actum primum essentiam Dei primum metaphysice constitui intellectiōe, arbitrati sunt, & conuerso vero scholastici adscribentes Deo actum primum intelligendi, asseruerunt, in eo actu primo constitui naturam Dei & intellectiōem actualem extra essentiam Dei considerant, & vt solū identice spectantem ad constitutionem nature absolutæ.] Quod etiam patet ex iis, quæ diximus supra, tum quando adduximus verba P. Suarez pro nostra conclusione immediate post D. Th. tum ratione prima ad probandam nostram sententiam. Confirmatur tota hæc ratio; quia actualis cognitio, & intellectio diuina concipitur à nobis

bis ut actus vitalis constituens Deum in actu secundo, viuente intellectualiter formaliter, ut sic; sed omnis actus vitalis nostro modo intelligendi est quidam motus: ergo intellectio concipitur à nobis, & ex parte modi nostri concipiendi, non ex parte obiecti, ut motus in Deo consideratur. Maior propositio certissima est ex communi doctrina Philosophi dicentis, non esse melius viuere, quam videre, intelligere; huiusmodi enim actus sunt formaliter vita in actu secundo. Minor etiam est manifesta; quoniam viuens in hoc distinguitur à non viuente, quod illud habet principium mouendi seipsum à seipso; non viuencia autem non mouentur à se, sed à generante; ut patet euidenter ex definitione viuendi, accepta à tota schola, tum Philosophorum, tum Theologorum, quæ sic se habet, [viuere est moueri à seipso] quod adeo verum est, ut D. Th. adhuc viuere diuinum dicat, esse quendam motum 1. p. q. 19. art. 1. ad 3. velle, & intelligere diuinum sunt quidam motus, quo Deus mouetur, à parte rei, æquiualeuter videlicet, aut virtualiter; per rationem autem formaliter: ergo omne viuere per rationem nostro modo concipiendi est formaliter moueri seu motus; ergo per modum fluxus, seu operationis concipitur à nobis; quia motus est actio, seu operatio; sed essentia diuina est omnino permanens, & nullo modo concipitur per modum fluentis: ergo essentia diuina ultimo non constituitur per viuere vllum, siue sic intelligere, siue velle; alias esset fluens sicut motus, per quem ultimo constitueretur: ideo enim tempus est fluens essentialiter; quia constituitur per formalitatem fluentem ultimo: ergo si diuina essentia constitueretur per motum, qui est fluens formalitas, seu fluxus essentialiter esset fluens, & non permanens, quod est falsissimum: ergo falsa vestra sententia, ex qua id sequitur:

65 Confirmatur totum hoc, ac declaratur amplius. Intellectio diuina concipitur ut motus: ergo ut actus mobilis mouentis se vitaliter ex vi illius, tanquam per motum: ergo ante ipsum motum intellectionis intelligitur mobile, ut potens se mouere per illum: ergo intelligitur Deus, & eius essentia iam constituta; cuius actus concipitur esse ipsa intellectio, & cum prius sit esse perfectum essentialiter, quam operari etiam ad intra; quia vnumquodque agit in quantum est in actu, sequitur manifeste, illam entitatem diuinam, quæ concipitur ante motum, ut mobile potens se mouere per intellectionem ad cognoscendum obiectum, esse essentiam diuinam, & ipsam intellectionem non esse, nec intelligi posse pertinere ad prædicata essentialia mobilis, quæ necessaria præsupponenda sunt; quia sicut est intellectio alicuius obiecti, ita debet esse alicuius subiecti, id est alicuius intelligentis intellectio; formaliter enim intellectio, ut diximus, est representatio: ergo alicui debet representare, non certe alteris: principio intelligenti per ipsam: ergo ante actuale intellectionem formaliter est principium intellectuum, cui representatio obiecti fit per actuale cognitionem.

66 Confirmatur euidentius, quia in Deo vis intellectualis, & potentia intelligendi, siue dicatur potentia logica, siue metaphysica distinguitur virtualiter à parte rei ab actuali intellectione: ergo distinguitur formaliter per intellectum ab illa; consequentia hæc est euidentis, quam late demonstrauimus in hac Metaphysica, disputar. secunda de ente, quæst. Vtrum ens præscindatur per intellectum, & distinguitur formaliter ab inferioribus, I. P. Tom. I.

quia statim ac datur distinctio virtualis à parte rei inter aliquas formalitates, concipit intellectus distinctionem formalem inter illas cum fundamento; quod non est aliud, quam distinctio ipsa virtualis; unde distinctio virtualis est quasi potentialis; cui correspondet tanquam actuale exercitium: extrinsecum rationis distinctio formalis per intellectum: ergo.

67 Antecedens sic demonstratur; quia illæ formalitates distinguuntur in Deo virtualiter, quibus conueniunt respectu eiusdem duo prædicata, quorum vnum est affirmatio, & alterum negatio, & communiter vocantur contradictorie opposita; ideo enim in Deo distinguuntur virtualiter, ratio entis, & ratio substantiæ, quia de ente verificatur conuenientia cum accidente, & de substantia existente in Deo negatur conuenientia cum ipso. Item diuinitas distinguitur virtualiter à paternitate, quia diuinitas conuenit Filio, non autem paternitas, quia communicata illi diuinitate, non communicatur ipsi Paternitas; sed vis intelligendi, aut potentia cognoscendi in Diuinis conuenit realiter cum intellectu Angelico; & intellectio diuina actualis non conuenit realiter cum meo intellectu realiter distinctio à mea intellectione; nam sicut ego per meum intellectum possum intelligere, & habeo vires ad intelligendum; ita Deus per intellectum potest intelligere; nam si non posset intelligere, non intelligeret, & habet vim intelligendi: ergo Deus per vim, & potentiam intelligendi conuenit cum meo intellectu, & non conuenit per intelligere; quia meus intellectus non est intelligere ipsum: ergo intelligere in diuinis, & vis intelligendi, seu posse intelligere distinguuntur virtualiter; atqui non sunt prædicata disparata, ut de se patet, sed potius prædicata pertinentia sequela: ergo vnum sequitur ex alio; sed non sequitur posse intelligere ex intelligere, aut vis intelligendi ex actuali intellectione: ergo è contra actuale intelligere seu actualis intellectio sequitur ex posse intelligere, seu ex vi intelligendi: ita ut per actuale intellectionem reducat in actum ipsum posse intelligere; sed posse, quod reducit per actuale intelligere ad actum, & ad quod sequitur intellectio actualis nostro modo intelligendi est potentia, seu actus primus intelligendi & intelligere comparatū cum ipso est actus secundus: ergo iam in Deo datur actus primus, & actus secundus intelligendi; quod his verbis expresse protulit D. Thomas 1. p. q. 41. art. 4. ad 3. [& ideo sicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam intelligendi, aut generandi, vel spirandi sed intelligere, & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicuius rei à Deo distinctæ, vel essentialiter, vel personaliter, unde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantū prout diuersimode significatur in Deo intellectus, & intelligere:] ergo iam in sententia D. Thom. datur actus primus, & etiam actualis intellectio tanquā actus secundus. Quod amplius vrgetur ex D. Th. qui clarissime hanc nostram doctrinam tradit 1. p. q. 14. in præfatione, ubi sic ait, [post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiā pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem eius, &c. ubi cognitionem, & intellectionem vocat operationem.

Quod dilucidius, & euidentius docet eadem, quæstione art. 4. in corpore his verbis: [nam intelligere est perfectio, & actus intelligentis, hoc autem

H h 2 qualiter

qualiter sit considerandum est, sicut enim supradictum, est intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in operante, sicut actus, & perfectio eius, propter esse est perfectio existentis, sicut enim esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem; in deo autem non est forma, quæ sit aliud, quam suum esse; unde cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ut dictum est; ex necessitate sequitur, quod ipsum eius intelligere sit eius esse, & sic patet, quod in deo intellectus, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino unum, & idem. Ecce in his omnibus locis b. Thomas asserit, intellectionem esse operationem immanentem, & essentiam esse tum intellectum, tum speciem intelligibilem; sed operatio respectu intellectus, & speciei intelligibilis est actus secundum respectu actus primi: ergo in deo datur actus primus, & actus secundus intelligendi modo nostro concipiendi, & licet in verbis adductis dicat d. Thomas, quod in deo intellectus, & ipsum intelligere sunt omnino unum, & idem, illa particula, omnino, non destruit rationem actus primi, & secundum modo concipiendi, neque distinctionem inter intelligere, & intellectum per rationem, sed solum distinctionem à parte rei, ut contendebant aduersarii in eodem articulo. Quod amplius declarat in responsione ad primum his verbis, [ad primum ergo dicendum, quod intelligere, non est operatio existens ab ipso operante, sed manens in ipso,] & ideo docuit Angelicus Doctor *quest. 1. de potentia, artic. 1. ad primum*, cognitionem dei habere principium secundum rationem: atqui operatio habens principium sui esse est actus secundus, & principium illius est actus primus: ergo iam in deo datur modo nostro concipiendi actus primus, & actus secundus intelligendi.

SVBSECTIO VII.

Solutio aduersariorum impugnatur.

⁶⁹ Pater Herize ubi supra, *disputat. 2. de natura scientia. cap. 3. num. 23. §. his prædictis*, ideo negat dari in deo actum primum, & secundum intelligendi adhuc per rationem; quia nullum est prædicatum proprium actus primi seu potentiae, quod in suo formali conceptu ex sese non inuoluat imperfectionem. Cum autem ratio nostra Deum ut est in se concipiens adscribere Deo non possit prædicatum, quod ex ratione essentiali inuoluit imperfectionem, ideo nec per rationem constitui potest in deo potentia intelligendi radicalis, aut formalis, seu actus primus.

⁷⁰ Sed contra manifeste, quia dupliciter possumus concipere aliquam rationem Deo, primum solum ex parte nostri modi concipiendi in simplici apprehensione dei, secundum ex parte ipsius dei attribuendo deo per iudicium talem formalitatem, quam concipimus, verbi gratia, quando concipimus Deum eo modo, quo ab scriptura depingitur, ut ignis consumens, secundum illud: [Deus ignis consumens est;] vel quando consideramus ipsum per modum solis fulgentissimi, ut legitur in sacris libris, [sol iusticie deus noster,] aut tandem quando concipimus Patrem æternum per modum senis barba, & capite canum, eo modo quo legitur in *lib. Danielis*; hæc enim formalitates, seu rationes solum se habent ex parte modi nostri concipiens

di, & sistunt, ut ita dicam ex parte simplicis apprehensionis; quare si à nobis interrogetur utrum Deum sit ignis, sol, aut senex, eo modo quo à nobis concipitur per simplicem apprehensionem! Respondemus sine ulla dubitatione, nullo modo esse ignem, solem, aut senem, sed potius infinitam, spirituales, & perfectissimam substantiam sine ulla imperfectione corporeitatis, & accidentium, quæ reperitur in sole, igne, & senæ. Ecce quomodo aliquid concipimus per simplicem apprehensionem de Deo, quod solum se habet ex parte simplicis apprehensionis, quodque minime attribuiamus, sed potius cunctis viribus negamus de Deo, in eo oppositum secundum fidem, & lumen nature cuius constantem affirmamus de ipso.

Ratio autem quare ita concipiamus per simplicem apprehensionem Deum est, quia ipsum imo & res spirituales non possumus in hac vita immediate intuitu, ut in se sunt, concipere, sed potius abstractiue, ac proinde mediate per creaturas, & per alienas species receptas per sensus secundum illud axioma, [nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu,] quod intelligitur de intellectu in simplici apprehensione, nihil enim apprehendimus per primam cognitionem, nisi quod antea cognouimus per sensus, aut secundum similitudinem eorum, quæ per sensus cognouimus, quæ tamen cognitio postea tum in iudicio, tum in discursu adiuti lumine fidei aut principis scientiarum corrigimus, ut ita loquar, affirmando oppositum, quod per simplicem apprehensionem apprehenderamus, & conceperamus: cum autem omne quod per sensus cognoscimus mediantibus speciebus acceptis ab obiectis, sit corporeum, v.g. sol, homo, senex, & ignis, inde est, quod Deum, & res spirituales ad modum corporum necessario apprehendamus, neque possumus aliter concipere res spirituales. Quod adeo certum est, ut nulla dubitatio sit apud omnes Doctores; unde irridetur qui diceret, se Deum posse apprehendere non ad modum rei corporeæ, sed potius ut in se est, in quo statim caperetur, & conuinceretur falsitatis solum interrogando ab ipso, ut explicaret nobis talem nouum modum concipiendi inauditum omnibus, cuius oppositum continetur in scriptura, ut patet ex locis nobis adductis.

Itaque necessario, & dum in hac vita sumus per modum rei corporeæ debemus Deum concipere: tunc sic, primus modus concipiendi licet imperfectiorem inuoluat non ideo vitandus, neque oppugnandus viro Theologo, ac Philosopho, tum quia deus, qui de seipso loquitur in sacra Scriptura vitatur hoc modo loquendi, & explicandi suam maiestatem; quia videt aliter cum hominibus non posse loqui, qui aduersarii rebus corporeis de diuinis non nisi ad similitudinem corporis possunt loqui, ac proinde ipsis impossibilia non debent peti; satisfaciunt enim decori diuinitatis, seu obligationi loquendi de Deo, corrigendo per discursum, & indicium id, quod male de deo in simplici apprehensione concipitur, & fatendo id ita concipere sequi aliud fragilitas humana non patitur; quare qui hunc modum concipiendi oppugnare intendit, docendo esse indignum Deo, fallitur manifeste, alias in scriptura aliquid indignum Deo ponitur, quod non est dicendum, præcipue quando excellentia Dei infinita propter summam eminentiam ipsius à nostra tenet. Prima apprehensione aliter cognosci non potest, esset autem indignum Deo, si interrogati, an Deus sit corporeus & an sit eo modo quo per simplicem apprehensionem concipimus. Responderemus, Deum esse corporeum, & talem, qualem apprehendimus prima operatione intellectus, apprehendi autem vno modo